



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dissertationes Ad Jus Publicum Romano-Ecclesiasticum

Bessel, Johann Franz

Coloniæ, 1715

VD18 14847493

Dissertatio III. De Electione Et Coronatione Summi Principis Ecclesiastici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61383](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61383)

dulgentiæ à summo Pontifice concessæ, non possunt applicari defunctis, nisi hoc sit specialiter in Bulla expressum, D. König. d. l. n. 28. plura quæ requirantur ex parte illius, qui cupit indulgentias

lucrari, passim traditur à Theologis & Canonistis, neque hujus tractationis hic est, cum sufficiat delibasse potestatem concedendi indulgentias.

DISSERTATIO III.

DE

ELECTIONE ET CORONATIONE SUMMI PRINCIPIS ECCLESIASTICI.

Postquam actum est de dignitate & varia potestate summi Pontificis, congruus ordo postulat, ut sub censuram vocetur ipsamet electio Pontificia, quis nimirum ad hujus solii sublimitatem possit ascendere, aut quinam possint ad hujus Ecclesiasticæ Majestatis apicem idoneum eligere & eligendo elevare.

§. I.

QVID SIT ELECTIO PONTIFICIA, ET CUI JURI ORIGINEM SUAM DEBEAT?

SUMMARIA.

1. An sit juris divini, ut Pontifex assumatur per Electionem? 2. Solvuntur objectiones. 3. An S. Clemens fuerit à D. Petro denominatus successor in

Pontificatu. 4. An Bonifacius II. Vigiliam. Gregorius VII. Victorem III. & idem Victor Urbanum II. sibi successores in Pontificatu substituerint?

Quæres 1. Quid sit Electio Pontificia?

Electio ex communi definitione

describi potest, quod sit assumptio personæ idoneæ ad Prælaturam Ecclesiæ viduatæ per eos, qui jus suffragii

T 2

suffragii habent, canonicè facta, ex qua descriptione electionis in genere spectatæ facillè eruitur, quid sit electio Pontificia. Hinc

Resp. Electio summi Pontificis nihil est aliud, nisi vocatio personæ idoneæ ad universalis & vacantis Ecclesiæ regimen, per eos facta, qui jus suffragii habent.

Quæres 2. Cui juri originem suam Electio Pontificis debeat?

Resp. Summum Pontificatum obtineri, sive ad dignitatem pontificiam vocari per electionem, est jure divino introductum. ita Barbosa J. E. V. lib. 1. c. 1. quest. 1. n. 13. Passerinus de Elect. c. 1. quest. 1. n. 13. Fagnanus in cap. accepimus. 5. de pallis à n. 29. D. Franc. Schmier. Tr. de modo acq. vel amitt. pralat. cap. 1. sect. 1. §. 3. n. 17. aliique ab eo relati.

Probatur 1. Summus Pontificatus quoad primævam sui institutionem est juris divini ex *dd. supra Dissert. 1.* ergo etiam medium & modus ad summum Pontificatum ascendendi est juris divini. prob. conseq. quia instituto Pontificatu summo, tanquam sine, etiam modum ascendendi ad Pontificatum tanquam medium à DEO institutum esse credendum est, jam vero inter modos Petri cathedram conscendendi non alius erat aptior & rectior quam electio, ergo electionem summi Pontificis ipse DEUS ordinavit.

Quod autem electio sit optimus & rectissimus modus perveniendi

ad dignitatem Pontificiam, ex eo colligitur & probatur, quia neque collatio, neque adoptio neque successio convenit præsentì Ecclesiæ statui, & quidem 1. collatio supponit altiore potestatem qualis supra Pontificiam in orbe non datur. ex *dd. supra dissert. 1.* Supponit quoque in conferente jus, quod per collationem conferendum, cum tamen in summum Pontificem non ab homine sed DEO jurisdictio conferatur. c. 1. dist. 23. cap. 6. in fine de Elect. & Elect. potestate. Adoptio quæ naturam hæreditariæ successionis habere videtur, etiam ex eo nequit in papatu procedere, quia sic fieri deberet à Pontifice vivente, vel ut adoptatus in consortium potestatis admitteretur, vel ut mortuo demum Pontifici instar coadjutoris succederet; atqui ejusdem Ecclesiæ duo supremi Pastores esse nequeant, sicut nec duo ejusdem regni reges, nec duo ejusdem firmamenti soles; jurisdictio etiam Pontificis, cum sit in persona ejus radicata, nequit ab ipso in successorem transferri. cap. 3. de Elect. in 6. clement. 6. in princ. eod. quia aliàs hæc jurisdictio non à DEO sed homine proveniret, contra cap. 13. de judic. quod pulchrè declarant Patres in synodo Romana relatæ in c. 5. caus. 8. quest. 1. ubi dicunt, quod ea, quæ DEI sunt, ab homine dari non possint. Sic quamvis DEUS dederit populo potestatem eligendi principes inferiores, ut Exodi 18. Provide de omni plebe viros sapientes &c.

Num.

Num. 11. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel. Deut. 1. Date ex vobis viros sapientes gnaros &c. tamen ut inquit S. Thomas in 1. 2. quest. 105. art. 1. ad 1. Institutionem summi principis sibi Dominus reservavit; & hoc est quod Moyfes petiit. Num 27. Provideat Dominus DEUS spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem banc. & sic ex DEI ordinatione institutus est Josue, & de singulis iudicibus, qui post Josue fuerunt, legitur, quod DEUS suscitavit populo Salvatorem, & quod Spiritus Domini fuerit in eis, ut patet Deut. 17. Constitues regem, quem Dominus DEUS tuus elegerit. hæc S. Thomas. Unde quæ dicta sunt de Moyse, qui erat summus Sacerdos, can. sacrosancta dist. 22. post legem Evangelicam ad Pontificem maximum applicanda & referenda sunt, non quidem eo sensu, quasi jus publicum ecclesiasticum novum ex veteri lege desumeremus, sed quæ ibi dicta sunt, congruentiam in nova lege ostendunt. Hinc Anacletus Papa can. Electionem, dist. 79. ait: Electionem summorum sacerdotum sibi Dominus reservavit. In hanc rem Cardinalis Turrecremata in summa de Eccles. lib. 2. c. 51. vers. 7. ait: de jure naturali & quasi divino videtur esse, ut Papa non faciat sibi successorem, nec post mortem nec post resignationem, quando non præest, licet quamdiu vivit, possit loco sui ponere Legatos & Vicarios, uti vult & sicut vult. id ipsum colligitur ex can. si ergo caus. 8. quest. 1. ubi

relato exemplo Moyfis, qui non permisit iudicio suo electionem successoris in principatu, sed electus fuit extraneus ex alia tribu, scilicet Josue filius Nave, quem Dominus ordinavit, & mox exemplo hujusmodi ad summum sacerdotium translato subjicit: *Propinquus agrorum & prædiorum relinquatur hereditas, gubernatio populi illi tradatur, quem DEUS elegerit.* adde can. *Moyfes ead. caus. & quest.* Denique si esset aperta via hæc subrogandi sibi successorem in Papatu, verendum esset, ne communiter substituerentur nepotes & consanguinei, per ea, quæ habentur in can. *pervenit. caus. 1. quest. 3.* Nam textus dicit, gravius esse dare jura & redditus Ecclesiarum consanguineis, quam extraneis, & quis speret humanum affectum a carne & sanguine tam abstinentem fore, ut si possit nepoti suo supremum principatum post se relinquere & non faciat? atque ita summum sacerdotium non promeritis & dignitate, sed affectu carnis quasi patrimonium transmitteretur in posteros; hoc autem esse contra jus naturale, colligitur ex eo, quod qui præesse debet multitudini & illam regere, melior ceteris est eligendus, idque bruta ipsa nos docuerunt, ut apes & grues can. *in apibus caus. 7. quest. 1.*

Successio denique quia puritati & castitati clericali ad nostra usque tempora in Hierarchia ecclesiastica continuata repugnat, juxta can. 6. d. caus. 8. quest. 1. ibi: *Neque sanguini*

principatus in populos, sed vita deferendus, propterea non tantum à summo sacerdotio, verum etiam ab inferioribus ministris procul arcenda est, ne quod in synodo Romana sub Hilario Patres conscripti quondam deplorarunt, rursus eveniat, ut Episcopatum, qui non nisi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, sed hæreditarium esse compendium existimetur; & sicuti res caducas atque mortales, ita sacerdotium velut legatario aut testamentario jure posse dimitti credatur. cum ergo nullus alius modus inveniatur, per quem ad apicem Ecclesiæ quis sublimetur, quam electio, illa creditur à DEO fuisse præcepta.

Confirmatur. Non est salubrior, utilior & suavior via ad Ecclesiasticum Principatum, quam electio, nam imprimis ut sapienter olim Imperator Galba peroravit, generari & nasci à principibus, fortuitum, nec ultra æstimatur adoptandi (eligendi) judicium integrum, & si velis eligere, consensu monstratur. Tacitus *lib. 1. Hist. c. 16.*

Sæpius enim heroum filii sunt noxæ, atque ex Antonio Imperatore Philosopho filius plane Reipublicæ incommodus Commodus, ex sapientissimo quodam Carolo ignavus aliquis Wenceslaus est natus.

Deinde Electio magis conciliat eligentes, quia plerumque ardentius diligimus, quod ipsime libere seligimus, ac gratior est pastor, qui non invitis sed volentibus ovibus

constituitur, qua de re ait Plinius *Panegy. c. 7. Imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus.* Ergo tenendum est, quod divina sapientia viam aliam ad culmen Apostolatus non paraverit, quam electionis, cum sapientia divina aliàs omnia non tantum fortiter, sed etiam suaviter disponat.

Prob. 2. Id quod à tempore Petri ad hæc usque tempora sanctissime fuit in Ecclesia observatum, potius divino judicio, quam humano ingenio ordinatam esse pie credendum est, quia continuata tot sæculorum observantia vim traditionis, vel potius vim habet promulgationis, qua lex anterior & antiquior sit omnibus palam; à temporibus & morte Petri autem nullum alium modum in designando supremo capite observavit Ecclesia, quam electionem prout affirmant testes omni exceptione majores. Barbosa *loc. cit. lib. 1. c. 1. n. 38.* Gonzalez. *ad cap. 6. num. 11. & 12. de Elect. & Elect. potestate.* Ergo pie credendum est, hunc morem, non ab Ecclesia primitus inventum, sed à divino dictamine ordinatum esse.

Objicies 1. Quod summus Pontifex debeat per electionem assumi ad hanc dignitatem, id nullibi reperitur in sacra scriptura, ergo electio Pontificia suam originem non trahit à jure divino.

Resp. 1. T. antec. N. conseq. non solum quæ scripta sunt, sed etiam ea, quæ ab Ecclesia sunt tradita, pro

pro divinis præceptis sunt agnoscenda.

Resp. 2. Dist. antec. id nullibi reperitur in sacra scriptura directe C. indirecte N. directe igitur non habetur scriptum in Evangelio, quod visibile caput Ecclesiæ per electionem sit nominandum, habetur tamen indirecte & per evidentem consequentiam; equidem ex sacra scriptura habetur, quod aliquod caput Ecclesiæ visibile sit à Christo institutum, consequenter etiam Christus debuit determinare aliquem modum quo primatus ille per continuam & constantem Pontificum successionem stabilietur, indubiè autem divina sapientia elegerit modum, qui statui Ecclesiæ sit conformior, aptior, utilior & acceptior. Conformior, utilior &c. autem ex probatis esse nequit, quam electio, ergo illa saltem indirecte habetur in sacra scriptura.

Objicies 2. Quod in veteri lege servatum est, erat figura illius, quod in nova lege servandum est, atqui in lege veteri sacerdotium hæreditario jure ex Aaron ad filios ejus & cæteros descendentes deferrebat, juxta illud *Exod. 19. v. 24. Aaron & filios ejus applicabis* & illud *Levit. 1. vers. 8. & disponent filii Aaron*; item *cap. 3. vers. 8. Adolebunt filii Aaron*. Ergo etiam in lege nova,

Resp. 1. T. Major si loquatur particulariter quoad omnia & N. Min. contrarium enim exinde pro-

batur, quia Moyses juxta *Psal. 89. vers. 6.* fuit sacerdotali munere functus, ibi: *Moyse & Aaron in sacerdotibus ejus*, imo Moyses juxta *D. Nazianzenum orat. 22.* fuit sacerdos sacerdotum, qui Aaron & filios ejus in sacerdotes inauguravit, uti patet *Exod. 6. 29.* & tamen sacerdotium Moysis in posteritatem ejus jure successionis non fuit delatum, ut constat ex *Levit. 6. 3.* & quæ ibid. *vers. 1. col. 1. litt. B.* notat Cornelius à Lapide. Ergo si argumentum ex antiquo testamento ad novum formare licet, sacerdotium summum jure sanguinis non erit deferendum.

Resp. 2. Magna est disparitas inter sacerdotium legis gratiæ & legis veteris, quia vetus ille populus Dei, nullo alio signo agnoscebatur quam sanguinis, solum enim adscribebantur sub dominica militia, qui ex Jacob originem ducebant, in populo autem novo non sanguis militem Christi designat, sed sine ulla personarum acceptione omnes mundi nationes per Baptismum Christi regenerantur, quo sensu Paulus *ad Galath. 3. vers. 28.* ait: Non est distinctio Græci & Latini; quapropter sacerdotes in veteri lege uxores & filios habebant, ad quos sacerdotium jure sanguinis transmittebatur, in nostra autem lege gratiæ, nihil carnale sacerdotibus permittitur, ideo electio potius, quam successio admittenda fuit.

Denique in novo testamento perfectiora & expeditiora præcepta à Deo

Deo fuerunt condita, quam in antiquo, ideo mirum non est, quod jam electio vigeat in Ecclesia, licet olim successio fuerit in Synagoga; imo ex majori supra positi syllogismi nil sequitur, vetus testamentum fuit figura novi, an ergo inferre licebit ita: Ergo in novo Testamento omnia tenenda sunt, quæ in veteri fuerunt observata, quæ sequela variis retortionibus posset falsitatis argui & demonstrari.

Objicies 3. Adoptio ad summum Ecclesiæ Principatum jam semel obtinuit, & jure quidem, ergo electio non est juris divini.

3. Prob. antec. Sanctum Clementem à S. Petro adoptatum fuisse probat & refert Joannes in *can. 1. caus. 8. quest. 1.* Ergo jam semel obtinuit adoptio & jure quidem, cum nemo melius sciverit, quæ ratione assumptio summi Pontificis celebranda sit, quam primus ab ipso Deo constitutus Pontifex Petrus.

Respondetur 1. Adhuc esse valde dubium, si ne Epistola Joannis III. in *cit. can. 1.* ab ipsomet Joanne, an vero manu apogrypha conscripta? dubium secundo est inter ipsos SS. Patres an Clemens immediatè S. Petro, an vero Linus Petro, Lino Cletus, Cleto demum Clemens successerit, juxta notum versiculum Gloss. in *cit. can. 3. S. de Clemente.*

Disputat hic mundus, quartus fueritne secundus?

Ecclesia tamen catholica cum D. Augustino, Milevitano, Ignatio, Irenæo, Eusebio, Nicephoro, &c. hucusque sensit, Clementem fuisse quartum à S. Petro Pontificem (prout etiam supra *dissert. 1. §. 2.* est notatum) dum in canone missæ Clementem post Linum & Cletum recenset. Barboza in *collectan. ad cit. can. 1.* Gonzalez. *ad cap. 20. de prebend. n. 16.*

Resp. 2. Si factum Petri ita se habeat, ut asseritur, illud nec improbandum, nec imitandum esset, quia singulari divinæ inspirationis impulsu motus, non sua voluntate sed Numinis autoritate Clementem sui officii hæredem nuncupasset, aliàs sine cætu Apostolici consensu non deputaturus Pontificem, qui nequidem absque consensu Apostolorum S. Matthiam in collegium Apostolicum recepit. Gloss. in *can. si transitus vers. non potuit. dist. 37.*

Respondetur 3. quod si denominatio, quam Petrus fecisse dicitur, etiam intervenisset, non tam substitutio, quam commendatio deberet vacari, adeo ut D. Petrus, quem Spiritu sancto plenum sciebant fideles, de successore quæsitus, nullum digniorem & aptiorem responderit sancto Clemente, qui deinde licet ad excellens Petri testimonium fuisset evocatus à Clero & populo, attamen per hoc non impugnaretur electio. Tenenda igitur est hæc responsio, quod *cit. can. 1.* sit apogryphus & series nostra Ponti-

Pontificum sit legitima, ac consequenter negandum est, quod Clemens fuerit à Petro adoptatus.

4 Objicis 4. Bonifacius II. in concilio Romano Vigilium Diaconum sibi successorem delegit anno Christi 531. Cum enim Gothorum reges impie sibi usurpassent electionem Romani Pontificis, Bonifacius Ecclesie consultum putavit, ut nullo relicto sedis vacantis loco successorem sibi substitueret, cujus rei meminit Anastasius Bibliothecarius in vita ipsius Bonifacii, & habetur *tom. 2. Concil. part. 1. fol. 643. col. 2. & fol. 646. col. 3.* in hæc verba: Hic, scilicet Bonifacius, congregavit Synodum in Basilica B. Petri Apostoli & fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret, quo constituto cum Chirographis sacerdotum & jurejurando ante confessionem B. Apostoli Petri in successorem Diaconum Vigilium constituit. Nec desunt alia exempla his similia, nam Gregorius VII. miraculis clarus, salerni ante tertiam diem sui obitus rogatus ab Episcopis & Cardinalibus, qui tunc aderant, ut de Romanæ sedis post obitum suum ordinatione juberet, hortatus est, ut Desiderium Pontificem facerent, aut Origenem Lugdunensem Archiepiscopum, aut Ottonem Hostiensem Episcopum, sicque post ejus mortem electus fuit à Cardinalibus ipse Desiderius & Victor III. vocatus, ipsemet etiam Victor gravi dysenterie morbo laborans, convocatis ad se Episcopis & Cardina-

libus, jussit, ut juxta Gregorii voluntatem Ottonem Hostiensem Episcopum eligerent, quem manu apprehensum cæteris tradidit, dicens: *accipite eum & in Romana sede locate.* Rem ut præfertur in Synodo gestam, refert Leo Hostiensis *lib. 3. cap. 7.* & habetur *tom. 3. concil. part. 2. fol. 406. col. 4. litt. f.* itaque Gregorii tempore de consensu Patrum adstantium statutum fuit, ut unusquisque ante mortem eligeret sibi successorem, prout Gregorius Anno 1085. elegit Victorem III. Victor III. Urbanum II. anno 1086. lege Cardinal. Baronium ad annum Christi 1085. fol. 188. & annum 1087.

Resp. Factum illud Bonifacii II. in concilio iterum congregato ab omnibus reprobatum fuisse, ut idem Anastasius attestatur, dicens: eodem tempore facta iterum Synodo, hoc censuerunt sacerdotes omnes propter reverentiam S. sedis, & quia contra Canones hoc fuerat factum, & quia culpa eorum respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est Majestatis, quod diaconum Vigilium sua subscriptione Chirographi ante confessionem B. Apostoli Petri constituisset, ac ipsum constitutum in presentia omnium sacerdotum & cleri & senatus, incendio consumpsit; ut refertur *tom. 2. concil. part. 1. fol. 634. col. 2. litt. C.* Unde ex tam insigni retractatione validissimum desumitur argumentum pro hac sententia.

U

Sed

Sed & Sylverius Papa in decreto anathematis in Vigiliis exprobrat, quod contra jura Canonica tempore Bonifacii ipso vivente successor ejus designari conatus fuerat, ut patet ex epistola ipsius Sylverii ad Vigiliis Pseudo-Papam, quæ habetur *tomo 2. concil. part. 1. fol. 772. col. 1.* & vide Baronium *tom. 7. ad annum 521. fol. 166.* Alia vero exempla in contrarium adducta non videntur obstare, quia si accurate considerentur, illæ non fuerunt substitutiones successorum, sed potius designationes; Pontifices enim à Cardinalibus rogati indicarunt, quem dignum putarent cathedrâ Petri, salvis tamen Cardinalium suffragiis, ideoque nullus

ex designatis gessit se pro Papa, nisi post subsecutam Cardinalium electionem, ut colligitur *ex can. penit. caus. 7. quest. 1.* ibi: *Si eum aptum cognoveris, tibi successorem designa, ut hoc veniat ordinandus.*

Objicies 5. *can. transitus. dist. 79.* innuitur Papam posse ante transitum suum de successore decernere & deliberare, ergo Pontifex non est necessario per electionem assumendus.

Resp. Aliud est de sui successoris electione cum fratribus deliberare, quod ibi permittitur & potest fieri, & aliud ex testamento quasi dignitatis suæ hæredem substituere, quod penitus prohibetur. *can. Episcopo non. caus. 8. quest. 1.*

§. II.

QVIBUS OLIM JUS ELIGENDI PONTIFICEM
COMPETIERIT?

SUMMARIA.

1. In primordio Ecclesie Clerus & populus interfuit Electioni Pontificie.
2. Quando Imperatores admissi sunt, & qua conditione, ad Electionem Pontificiam?
3. Hac de re quale privilegium habuerit Carolus magnus?
4. Quomodo jus eligendi ad Cardi-

nales solos translatum fuerit? 5. An jus & suprema potestas ordinandi Ecclesiam fuerit unquam penes Imperatores? 6. An privilegium, quo Imperatores interfuerit olim electioni Pontificum potuerit eis justè auferri, ubi assignatur ratio?

Quod ab initio nascentis Ecclesie Romanæ-Catholicæ cum clero populus electionibus Pontificiis

interfuerit, ad eum fere modum, quo in electionibus aliorum Prælatorum comparuit per *can. 5. caus. 7. quest.*

quæst. 1. & plures alios in can. dist. 63. dubium non est, teste Gonzalez. ad cap. 6. de Elect. n. 12. Laymann. de Elect. quæst. 121. resp. 1. quia totius Reipublicæ Christianæ negotium esse credebatur communem & principem pastorem communi omnium suffragio designare. idem tenet D. Francisc. Schmier. tract. de mod. acquir. vel amittend. prelat. c. 1. sect. 4. §. 1. n. 386.

Postquam autem Constantinus Imperator sacris Christianis accessit, successores ejus non semel electionibus papalibus semet immiscuerunt, tunc præsertim, quando schisma, dissidentibus Electorum votis timebatur Ecclesiæ futurum, sic enim à Valentiniano in schismate Ursicini Damasus, ab Honorio in schismate Eulalii Bonifacius, ab aliis Imperatoribus alii Pontifices electi sunt, nec tamen proprio magis, quam à fidelibus delegato jure, ea tempestate Imperatores utebantur, imo ab ipsa vocabantur natura, utpote quæ in casu necessitatis principibus tanquam advocatis & protectoribus fatiscantis Ecclesiæ, jus eam defendendi committit. Sfondrati in regal. sacerdot. prælud. §. 1. n. 13. Gonzalez. cit. loc. n. 12.

Postquam autem humanæ ambitionis libido intra limites non stetit, sed amplius exarsit, etiam Principes & Imperatores amplius progressi sunt, ac pro suo libitu usque ad tempus translati in occidentem Imperii circa electiones

summorum Pontificum disposuerunt, & teste Sfondrati anno Christi 355. Constantius Imperator Arianus Liberio in exilium pulso, Felicem II. Cathedræ Romanæ imposuit anno 526. Theodoricus Italiæ rex Felicem IV. Pontificem esse jubet anno 533. Athalricus Italiæ rex non contentus electionum confirmationes sibi vindicasse, certam insuper pecuniæ vim Pontifici Romano imponit. Anno 555. Imperatoris Justiniani non consensu tantum, sed etiam promotione Pelagius Pontificatu donatur, & deinceps exemplo ab Arianis ducto, electis Pontificibus imperatur, ut pecunia & non aliter confirmationem obtineant; unde cit. Sfondrati exclamat, quod cupiditas auri ne piissimo quidem principi pepercerit! Ipse Gregorius magnus ab Imperatore Mauritio consensum expectare & pecuniam ante confirmationem pendere debebat; Anno 687. Constantinus Bagonatus dato ad Agathonem papam diplomate remittit pecuniam hæctenus pro confirmatione dari solitam salvo tamen jure confirmandi. Anno 684. idem Constantinus Benedicto II. necessitatem petendæ Constantinopoli confirmationis remittit, sic tamen, ut ab Exarchis, qui nomine Imperatorum Italiam gubernabant, peteretur.

Sub ævum Caroli magni, paulo ante, quam Imperium à Græcis ad Germanos erat translatum, anno Christi 774. tradunt AA. permulti,

U 2

quos

quos recenset Barboſa *cit. lib. 1. cap. 1. n. 52* ab Hadriano I. privilegium eligendi Papam omnesque Episcopos investiendi Carolo magno fuisse concessum, idque à Gratiano *in can. Hadrianus. 22. dist. 63.* decreto insertum est, quem Canonem tamen potius fabulam esse, & desumptum ex Chronico Sigeberti monachi Gemblacensis, qui Henrico IV. contra Gregorium VII. Urbanum II. Paschalem II. summos Pontifices adhasisse, & eapropter in præjudicium sedis Apostolicæ scripsisse fertur, post Baronium & Spondanum ad annum Christi 774 contendunt Suarez de defensione fidei Catholicæ contra Anglicanæ sectæ errores *lib. 3. cap. 29. n. 7.* Gonzalez, *loc. cit. n. 12.* & alii plures ab his relati.

Verum sententia Gratiani valdè probabilis, ut cum Barboſa *cit. cap. 12. n. 54.* sentire videtur Sfondrati *in regal. sacerdot. lib. 1. §. 5. sub num. 5.* tum quia Gratianus *cit. can. Hadrianus. 22.* non ex Sigeberto sed ex historia ecclesiastica desumpsit, tum quia *in can. in synodo 23. dist. 63.* habetur, ad exemplum beati Hadriani Apostolicæ sedis Antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo regi Francorum & Longobardorum patriciatus dignitatem ac ordinationem sedis Apostolicæ & investituram Episcoporum concessit, à Leone Pontifice cum toto clero ac populo Romano indultum fuisse Ottoni I. jus eligendi summum Pontificem. Quia præterea Ludo-

vicus I. post Carolum magnum statim huic privilegio renuntiavit, ut habetur *can. Ego Ludovicus. ead. dist. 63.* Ottone I. & Henrico I. prout ab eodem Gratiano recensetur *can. 32. can. 33. ead. dist. 63.* similiter facientibus, qui Canones & decretum tanto majorem nanciscuntur probandi vim, quia per Bullam Gregorii XIII. decreto Gratiani præfixam, liquet, quod omnia in decreto contenta suis originalibus fideliter correfpondeant.

Quod autem Hadrianus Papa neque orbitam suæ potestatis culpabili errore sit transgressus, nec Ecclesiæ libertatem imminuerit, tam amplum privilegium concedendo, excusatur propter singularia Caroli merita in Ecclesiam, quæ sibi Carolus acquisivit sapius assistendo & propugnando Ecclesiam in oppressione Longobardorum universum fere D. Petri patrimonium cum incredibili in Romanos Pontifices exercita Tyranni de vindicantium, quapropter Carolus extraordinaria quadam prærogativa fuit condecoratus, imo sentendum videtur, quod Carolus non tam facultatem acquisiverit ordinandi electionem pontificiam, quin potius suo consensu & approbatione coadjuvandi, ut ipsemet Gratianus *in §. Electiones. ad can. 25. cit. dist. 63.* insinuat.

Post hæc ad S. R. E. Cardinales 4 & primario quidem ad Cardinales Episcopos, secundariò ad Cardinales presbyteros & diaconos jus eligendi

eligendi summos Pontifices pervenit, non plene excluso sed electionem jam habitam sequente populi & cleri consensu, de quo extant constitutiones Nicolai II. editæ circa annum Domini 1059. *in can. 1. dist. 23. can. 1. can. 9. dist. 79.* & quia necdum plane acquiescere volebant imperatores, post multorum annorum curriculum ac varia certamina, tandem anno 1122. sub Calixto II. Libertas electionis Pontificiæ, quin & aliorum Ecclesiæ Prælatorum ab imperatoribus postliminio solis personis Ecclesiasticis cessa, ac non tantum in concilio Rhemenfi & Lateranensi, sed etiam in comitiis Wormatiensibus communi Henrici IV. omniumque imperii statuum consensu stabilita est.

Et cum amplius exempla docerent, quod non adeo tranquillæ & pacificæ sint electiones Pontificum si clerici & laici quomodolibet inveniant, deinceps anno 1274. in concilio Lugdunensi sub Gregorio X. totum jus Romanum Pontificem eligendi solis Cardinalibus, remotis non tantum principibus sed etiam clericis & populo, collatum est, ut docet *cap. 3. præterea, & §. ceterum de Elect. in 6. Sfondrati in prælud. §. 1. n. 3.*

5 Ex quo colligitur, quod etiam supra *dissert. 1.* adverti, jus & summam potestatem ecclesiasticam

nunquam fuisse penes imperatores & principes, illud enim privilegium assistendi electioni pontificiæ, quod erat imperatoribus concessum, hoc ipso quod sit privilegium, denotat superioritatem, & summam potestatem privilegiantis, nimirum Pontificis, à quo Imperatores tale privilegium recognoverunt.

An autem tale privilegium & jus⁶ quaesitum potuerit justè & legitime imperatoribus & principibus auferri, quis dubitet; licet Brunne-
manus *Jurisprud. publ. dissert. 7. §. 10.* idcirco plurimas calumnias emove-
vet in summos Pontifices Gregorium VII. Paschalem II. & Calixtum II.

Justa verò tale privilegium auferendi ratio fuit, quod privilegiatus privilegio possit privari, quando propter abusum privilegiati privilegium in dispendium Ecclesiæ retundat, sicut revera privilegium eligendi Pontifices, quod jure vel injuria sibi arrogabant imperatores, in ingens Ecclesiæ detrimentum vergebat, dum ea a-tate, ut plurimum non alia via ad summum Pontificatus apicem patebat, quam per vim, metum, ambitionem & sexcenta alia scelera; unde frequentes scissuræ & schismata evenerunt, populo, clero & imperatoribus in diversa euntibus, ut satis constat ex monumentis.

§. III.

QVIBUS HODIE COMPETAT JUS ELIGENDI
SUMMUM PONTIFICEM?

SUMMARI A.

1. An hodierno jure solis Cardinalibus competat Jus eligendi Pontificem? 2. An etiam Cardinalibus solum creatis, qui nondum acceperunt insignia? 3. An Cardinalibus, quibus os adhuc clausum aut qui sunt irretiti censura? 4. Quonam ordine debeat Cardinalis esse initiatus, ad hoc ut ei competat jus suffragii? 5. An jus eligendi Pontificem possit remanere penes unum aut duos Car-

dinales? 6. Ad quem devolvatur jus eligendi Pontificem si omnes Cardinales essent mortui? 7. Si tempore concilii generalis Papa moriatur, an eo casu jus eligendi competat concilio? 8. Si interveniente schismate Pontifex deponatur à concilio, an eidem concilio competat jus eligendi? 9. An Cardinalis absens possit alterum Cardinalem constituere procuratorem in electione?

1. Quæres 1. An solis Cardinalibus hodierno jure competat facultas eligendi summum Pontificem?

Resp. Affirmativè. prob. ex concilio Lugdunensi in c. ubi periculum. 3. de Elect. in 6. ex concil. Viennensi in Clement. ne Romani eod. tit. cap. licet 6. de Elect. ubi decernitur, ut absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus tertiis Cardinalium electus fuerit & receptus.

2. Quæres 2. An hoc jus suffragii competat Cardinalibus à Papa creatis, etsi nondum adepti sint pileum & alia insignia Cardinalitia, qua juxta Romane curiæ morem Cardinalibus dari solent?

Resp. Affirmativè. ita tenent Bar-

bosa 7. E. V. lib. 1. c. 1. n. 73. Fagnan. ad cap. licet de Elect. n. 19. Pirrhing. sect. 9. §. 1. n. 420. de Elect. D. Francisc. Schmier. cit. tract. §. 2. n. 399.

Prob. Cardinalis quamprimum à Pontifice creatus est, omnem potestatem administrandi Ecclesiam habet etsi possessionem nondum sit adeptus, sicut enim Abbas, etsi nondum sit Benedictus, omnem jurisdictionem habet. Hinc

Infertur 1. idem jus competere Cardinalibus, quibus os adhuc clausum est, neque opus est, ut aliquamdiu in consistoriis antea versati sint, praxin didicerint, prout habetur in novissimo decreto Pii V. edito 26. Jan. 1521. ubi hæc oris clausura declaratur esse simplex

plex ceremonia, quæ ad subjectum electionis non pertinet. neque obstat constitutio Eugenii IV. quæ incipit in eminenti edua 7. Calend. Novembrii 1431. & habetur in Bullario tom. 1. pag. 769. est enim abrogata per posteriores constitutiones.

Infertur 2. Cardinales rite creatos eligere posse, tametsi censura aliqua innodati reperiantur per Clement. 3. §. 3. de Elect.

4 Quæres 3. An omnibus Cardinalibus vel solum quibusdam in certo ordine constitutis competat hoc jus eligendi?

Resp. Hoc jus suffragii competere 1. Cardinalibus Episcopis. 2. Cardinalibus Presbyteris. 3. Cardinalibus Diaconis.

Ratio, quia de Cardinalibus in inferiore, quam Diaconatus ordine constitutis per speciales Bullas ordinarunt Pius IV. Sixtus V. Gregorius XV. quod in electione Romani Pontificis vocem activam non habeant. Constitutio Pii IV. quæ incipit in eligendis. §. statuimus etiam. edita 7. Idus Octobris 1562. Constitutio Sixti V. incipit: Postquam versus ille. §. neque post hæc. edita Nonis Decembris 1586. Gregorius XV. id decernit in ceremoniali electionis Papæ ab ipso approbato §. porro. in Bullario tom. 4. pag. 104. teste tamen Barbosa loc. cit. præcitatæ constitutionibus summi Pontificis hæctenus fuerunt soliti derogare, dum in creatione Cardinalium breve aliquod particulare in ordine ad habendam vocem activam, ipsis expediri jubent.

Quæres 4. Si omnes Cardinales essent mortui tempore electionis facienda præter unum aut duos, an isti soli possint eligere?

Resp. Affirmative, Ratio est, quia non est potior ratio cur aliqua alia universitas in uno vel duobus individuis potius conservari possit, quam collegium Cardinalium, cum tamen alias sit communis regula ex c. 1. de Elect. l. 7. §. 2. ff. quod cujuscunque universit. totam universitatem illiusque jura in uno conservari. Panormit. ad c. licet. num. 15. de Elect. Gonzalez, ibid. num. 13.

Quæres 5. Ad quem pertineat electio Papæ si omnino Cardinales essent mortui?

Resp. Hoc dubium nullibi textu quodam vel ratione sufficienti est decisum, nec sufficienter est declaratum, sed potius decisione Pontificia indiget; aliqui cum Baldo in l. ubi adsunt ff. de tut. & curat. dicunt electionem ad Patriarchas spectare, alii cum Hostiensi ad cap. licet de Elect. Concilio generali potestatem eligendi tribuunt. Plures, quibus assentitur Barbosa cit. cap. 1. n. 75. Gonzalez, ad d. c. licet num. 13. in fin. cum D. Antonino pari. 3. summa tit. 22. §. 2. n. 4. Canonicis Lateranensibus quorum Ecclesia est propria sedes Pontificis supra omnes orbis & urbis Ecclesias, electionem consignant. Forte etiam sine absurdo defendi posset, electionem in casu posito redire ad primum statum, in quo penes totum clerum &

& populum Romanum fuit, saltem si concilium congregari non posset?

7 Quæres 6. *Utrum si Papa moriatur tempore generalis & œcumenici concilii, electio generali concilio vel Cardinalibus competat?*

Resp. Electionem adhuc competere Cardinalibus. ita Gonzalez. *cit. n. 13. in fin.* & probatur exinde quia Julius III. Marcellus III. Paulus IV. & Pius IV. summi Antistites tempore generalis concilii Tridentini necdum absoluti sed adhuc tunc pendentis & suspensi, non à concilio sed collegio Cardinalium sunt electi; & insuper ratio est, quia quam potestatem solum concilium non dedit Cardinalibus, eam non potest sine gravi & manifesta causa adimere.

8 Quæres 7. *Si interveniente schismate aut hæresi Pontifex à concilio generali deponatur (quod absit) utrum electio concilio vel Cardinalibus competat?*

Panormitanus *in cap. licet. sub n. 8. vers. sed adverte*, putat de jure ve-

rius esse, quod electio pertineat ad concilium. sed nihilominus:

Resp. In casu posito electionem pertinere ad Cardinales ita Barbosa *d. cap. n. 76. D. Francisc. Schmier. cit. §. 2. n. 304.*

Ratio est, quia delictum Pontificis non debet gravare collegium purpuratorum, ut propterea potestatem eligendi Pontificem, quam à concilio solo non accepit, ab eodem sine alia & prægnanti causa privari mereatur.

Quæres 8. *An Cardinalis ex justa causa absens & recedens possit alteri Cardinali demandare suffragium suum?*

Resp. Negative. Ratio est, quia id non legitur Cardinalibus concessum, & *c. 46. de Elect. in 6.* id concedit in aliis electionibus, ut canonicus *v. gr. juste impeditus suffragium suum possit alteri committere*, de electione vero Pontificia mentionem non facit. Nec alius textus suppetit, quo id affirmandum esset. Pirrhing. *sect. 9. §. 1. num. 420. de Elect.* aliique ab eo relati,

§. IV.

QUISNAM IN SUMMUM PONTIFICEM ELIGI POSSIT?

SUMMARIA.

1. *An femina possit eligi in summum Pontificem?* 2. *Quid sentiendum de Joanna Papissa?* 3. *An eligendus in Pontificem necessario de-*

beat esse Cardinalis. 4. *An eligendus in Pontificem debeat esse initiatus aliquo ordine sacro?* 5. *An etiam laicus possit eligi?* 6. *An etiam uxora-*

axoratus possit eligi in Pontificem?
7. Quæ ætas requiratur ut quis eligi

possit? 8. An etiam infans sit absolute capax Papatus?

Quæres 1. An femina possit eligi ad dignitatem Pontificiam?

1 Respondent negative omnes Catholici, Ratio est, quia Apostolus non tantum non docere, sed ne loqui quidem permittit fœminas in Ecclesia, 1. ad Corinth. 14. partim, quia Vicarium Christi oportet esse ejusdem sexûs cum Christo, partim quia non est credibile, voluisse servatorem nostrum, qui beatissimæ Matri suæ claves cœlorum & gubernacula Ecclesiæ non concessit, 5. 10. de penit. & remiss. fœminæ inferioris conditionis Papatum deferre. Imo si, ut refertur in Breviario Romano die 27. Maji in vita S. Joannis I. Fœmina quædam nobilis non potuit sedere in equo, cui prius sanctissimus Pontifex Joannes infederat, sed toties, quoties tentabat, cum fremitu spumantis equi excussa est, tanquam (ut dicit Breviarium) equus indignaretur mulierem recipere, ex quo sedisset in eo JESU Christi Vicarius; quomodo papalem thronum conscendere digna habebitur?

2 Trita, in plateis ferme decantata circumfertur & pro historia venditur fabula, quæ à Platina etiam (quamvis sub dubio) in vita Joannis VIII. refertur, de Joanna Papissa, quam alii Agnetem, alii Dorotheam, multi Gilbertam, Margaretham aut Juttam vocant, quod scilicet fœminæ quædam hujus

nominis, Athenis liberalibus disciplinis apprimè exculta, Romam profecta, atque ob doctrinæ, quam publicè præstebatur, præstantiam omnium ore celebrata, post obitum Leonis IV. circa annum 833. Petri cathedram per biennium rexerit, ac interea à quodam suorum famulorum compressa, in publica quadam processione inter Colosæum & S. Clementem parturire, & inter dolores partus perire cœperit.

Verum: hæc est fabula mendaciis & figmentis nimium palpabilibus composita, nam Anastasius Monachus S. R. E. Bibliothecarius (quo fidelior & candidior Historicus non invenitur, ut eum appellat Baronius *Annal. Ecclesiast. tom. 9.*) scripsit & vixit tempore Leonis IV. nec tamen vel unicam hujus imposturæ mentionem ingerit, quin Leonem usque ad annum 855. Ecclesiæ præfuisse, eique post 15. dies non sine prodigiosis ominibus successisse Benedictum III. memorant alii quoque & vita & calamo celeberrimi Historiographi, qui proximi illis temporibus incluserunt, quales sunt Ademarus monachus, Regino Abbas Brumensis, Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnaburgensis, Otto Frisingensis, Conradus Urspergensis, altissimum de papatu fœmineo silentium tenent; Verum ipsimet

X

autho.

authores hujus commenti sunt discrepantes in nomine, patria, moribus, &c. larvata Papissa; & sane quis prudens unquam credat feminam exteram & ignotam, de natalibus & origine non probatam, ad Ecclesie universalis regimen statim assumi, vel in ætate graviore parere, neque à tot aulicis & famulis pontificiis uterum adverti, ac demum partus tempore in publicum prodire, nunquid hæ circumstantiæ sunt, quæ vel infantibus & mulieribus de falsitate sunt suspectæ?

Authorem hujus fabulæ aliqui dicunt Martinum Polonum in sua Chronologia, Spondanus autem originem fabulæ ad annum Christi 85. inde defumit, quod aliquando femina in sede Patriarchali Constantinopolitana collocata, contra quod factum vehementer exarsit Leo IX. Romanus Pontifex in epistola ad Michaelem & Acridanum Constantinopolitanos Antistites.

Unde facile potuit accidere, ut quidam malevoli pro femina Patriarcha feminam Pontificem in odium Leonis commenti fuerunt. Onuphrius Pavinius in annot. ad Platinam in vita Joannis VIII. fabulæ probrosam scaturiginem ex vita turpissima Joannis XII. manare credit, qui, quod ex pluribus scortis Joannam Rojeriam deperiret, atque ex illius arbitrio disponderet omnia, non Joannes sed Joanna appellatus esse creditur. Plura videri possunt apud Spondanum *loc. cit.* Ba-

ronium *cod. anno.* Onuphrium *loc. cit.*

Quæres 2. An eligendus in Pontificem necessario debeat esse de collegio Cardinalium, seu an nemo possit eligi in Pontificem, nisi sit Cardinalis?

Resp. Negative. ita tenet Fagnanus in *cap. licet. n. 14. de Elect.* Barbosa *dist. cap. 1. num. 88. & 77.* D. Francisc. Shmier. *tit. tract. de modis acquir. & amitt. Prælat. cap. 1. sect. 6. §. 3. n. 411.* Sotus, Azorius aliique ab eo relati.

Prob. ex *can. in nomine Domini. 1. vers. eligatur antem. dist. 23.* ubi Nicolaus II. in concilio Lateranensi ait: *Eligatur (Pontifex) de ipsius Ecclesie gremio, si reperiat idoneus, vel si de ipsa non inveniat, ex alia assumatur.* Hinc post *cit.* constitutionem Nicolai II. sex numerantur, qui ad Pontificatus apicem sunt evecti, nec tamen erant Cardinales, videlicet Urbanus IV. Gregorius X. Cælestinus V. Clemens V. Urbanus V. Urbanus VI. Si

Objicias. *can. 3. cum seq. dist. 75.* ubi Stephanus III. neminem ad Apostolatus culmen assumi debere asserit, qui Cardinalis Diaconus, aut Presbyter non fuerit.

Respondet Fagnanus *cit. can. 3.* utpote jus antiquum, esse abrogatum per jus posterius, & videmus ab exemplis inductis huic juri posteriori in *can. in nomine 3. & 6. licet. de Elect.* accedere observantiam contrariam,

Quæres

4 Quæres 3. *An eligendus in Pontificem, licet non sit de collegio Cardinalium, saltem debeat esse initiatus certo ordine sacro?*

Resp. in eligendo nullum certum ordinem requiri. ita tenent AA. *cit. quest. preced. & prob. per c. licet de Elect.* ubi omnis exceptio contra electum Pontificem opponi prohibetur; & consequenter etiam exceptio defectus ordinum. Confirmatur etiam responsio ab exemplis, cum legatur Eugenium III. ex Abbate regulari, Gregorium X. Archidiaconum, Cœlestinum V. monachum nequidem in sacris constitutum, ad Apostolatûs solum evasisse.

5 Quæres 4. *An etiam laicus possit eligi in Pontificem?*

Resp. Cæteris paribus, si vitæ merita & clericorum inopia id exigat, posse laicum eligi. Barbosa *loc. cit.* Fagnan. *cit. cap. licet. n. 15.* Pirrhing. *sect. 9. §. 2. n. 433. de Elect.* D. Francisc. Schmier. *loc. cit. n. 414.* Responsio data colligitur ex ceremoniali Romano, ubi præscribitur forma ordinandi & promovendi laicum, per electionem ad Ecclesiæ universalis gubernacula sublimatum. Deducitur 2. ex *cit. cap. licet.* per quod videtur esse abolitus & immutatus *can. oportebat cum seq. dist. 79.* Ergo.

6 Dubitari magis potest: *An etiam uxoratus possit eligi in Pontificem?*

Affirmativam tenet Fagnanus *loc. cit. n. 15.* & ab eo relata glossa *in can. si quis pecunia dist. 79. & can.*

quis sit. caus. 18. quest. 2. Baldus in cit. cap. licet num. 3. & ibid. Panormitanus n. 4.

Ratio est, quia si uxoratus non posset eligi in Pontificem, proveniret utique hoc impedimentum ex jure politico humano, cum textus sacer non habeatur, qui arceat uxoratum à Pontificatu. Atquæ per sæpius *cit. cap. licet de Elect.* sublata sunt omnes exceptiones juris positivi humani, quæ contra electum opponi possent. Ergo & hæc exceptio, quod sit uxoratus.

Quæres 5. *An requiratur certa ætas in eligendo & assumendo ad Pontificatum?*

Resp. Nullam ætatem esse determinatam, si modo tanta ingenii & judicii maturitate polleat, ut per se fideles regere & pascere valeat. ita tenent Fagnanus *in c. cum in cunctis 7. n. 23. de Elect.* Barbosa *d. l. n. 83.* Panormitanus *in cit. cap. licet. n. 10.* D. Francisc. Schmier. *loc. cit. n. 415.*

Ratio est, quia *in d. cap. licet.* nequidem ætatis exceptio admissa est; & ratio rationis esse potest, quia Spiritus sanctus, cujus organum & instrumentum est summus Pontifex, nec conditionem nec ætatem attendit, sed quandoque per senes, quandoque per juvenes admiranda sua consilia patefacit.

Et quamvis Bonacina *de Elect. summi Pontificis quest. 2. in princ. n. 6.* defenderit summum Pontificem velut Episcoporum Episcopum ad minus 30. annorum esse debere, ut

X 2

fic

fic Christo, cujus est Vicarius, in ætate sit conformior, attamen hæc solum congruentia est, non absoluta necessitas, suadens, non præcipiens. Tum maximè, quando Spiritus sanctus, nesciens tarda molimina, ætatem antevertit, atque in homine minoris ætatis tam prodigiosè charismatum suorum exuberantiam offendit, ut supra ætatem surgere videatur.

§ Dixi, si modo tanta ingenii & iudicii maturitate polleat, &c. hinc censet Pirrhing. d. loc. n. 434. quod infans vel amens, qui liberum consensum non habet, sit jure divino & naturali inhabilis; adeoque exceptio

infantiæ vel amentię contra electionem factam opponenda, nec fuit sublata, nec tolli potuit ab Alexandro III. in concilio Lateranensi per d. c. licet de Elect. quod autem infans aut amens jure naturali & divino sit inhabilis ad Papatum, exinde desumitur, quia Papæ committitur regimen, & gubernaculum universalis Ecclesiæ, jubetur pascere oves Christi; at vero infans vel amens regere nequit Ecclesiam, cum tale regimen vel maxime requirat usum rationes & summam prudentiam. Et denique quomodo pasceret oves Christi ille, qui propter ætatem se defendere nequit.

§. V.

QVÆNAM FORMA ET MODUS IN ELECTIONE
SUMMI PONTIFICIS SERVARI DEBEANT?

SUMMARIA.

1. Cardinales absentes sunt expectandi per decem dies. 2. An Cardinalis non expectatus possit agere de contemptu? 3. Quomodo conclave, in quo peraganda est electio, adornetur? 4. Quando Cardinales intra tres proximos dies non elegerunt Pontificem, qualiter eorum victus minuatur? 5. Si quis Cardinalis ex Conclavi exiverit, quid observetur quoad ejus suffragium? 6. Si Romanus Pontifex extra urbem ob-

iverit, ubinam sit instituenda electio? 7. Mortui Pontificis exequia in quibus Ecclesiis celebranda? 8. Refertur & notatur constitutio Gregorii XV circa formam electionis. 9. Quomodo Pontifex eligatur per scrutinium? 10. Quid sit & quomodo fiat accessus? 11. An Cardinales presentes in Conclavi possint inter se convenire ut valeat electio facta per majorem partem Collegii? 12. Refertur & discutiuntur aliquot modi
com-

compromittendi. 13. Quenam impedimenta & defectus quoad electionem

sint sublati. 14. Recensentur ceremonia in electione Pontificis adhiberi solita?

Modus & forma electionis Pontificiæ vel respiciunt antecedentia electionem, vel ipsam electionem; quæ concernunt ipsam electionem vel sunt intrinseca electioni vel demum extrinseca, puta meræ ceremoniæ.

Quæres I. Quenam sint antecedentia electionem Pontificiam?

1. Resp. Hac & quidem 1. post obitum summi Pontificis Cardinales absentes expectandi sunt per decem dies computandos à morte Pontificis, quibus elapsis sive absentes venerint, sive non, omnes Cardinales, qui in civitate fuerint præsentem, convenire debent ad futuram electionem, adeoque Cardinales absentes non sunt vocandi seu citandi ad electionem Pontificis, sed tantum expectandi per decem dies, quia mors Pontificis præsumitur non posse occultari, & quod si etiam per decem dies non fuerit expectatum, Cardinales absentes non poterunt agere de contemptu, sed electio valet, dummodo facta sit à duabus partibus cardinalium, præsertim in loco, ubi debet fieri electio, quia tempus & locus non ad substantiam electionis spectant, ut ait Pirrhing. *loc. cit. §. 3. n. 451.* sed inter accidentia numerantur, contra quam nulla exceptio juris positivi potest opponi.

Secundò, intra hoc decendum ex-

equiæ pro piis manibus antecessoris Pontificis aguntur.

Tertio his peractis in palatio Pontificio conclave adornatur, nullo intermedio pariete vel alio velamine distinctum, in quo omnes cardinales simul habitent in cõmuni, illudque undique clausum, sola fenestra ad victum recipiendum aperta & exitu ad secretam cameram reservato, idque statutum est, ne fraus committatur, nulli etiam ad eosdem cardinales patet aditus, nec facultas datur secretè cum eis loquendi, nec ipsi etiam aliquos ad se venientes admittere possunt, nisi eos, qui de voluntate omnium cardinalium præsentium vocarentur ad tractandum cum eis, quæ ad instantis electionis negotium pertinent (nempe Advocati vel Tabelliones vel religiosi viri) Pirrhing. *loc. cit.* in quod conclave omnes cardinales post decem dies peractos se recipiunt, quibus permittitur unus, qui eis inserviat, sive clericus sive laicus, vel ad summum duo alii inservientes permittuntur, ob manifestam necessitatem, si unus nō sufficiat. *c. 3. de Elect. in 6.* qui extra conclave quacunque ex caumorantur, cardinales, votum nec per litteras nec per procuratorem consignare possunt; qui serius & postquam patres de collegio præsentem ad conclave se contulerunt, ad urbem veniunt, re adhuc integra, ad conclave admittuntur.

X 3

QUARTO

Quarto si Cardinales intra tres dies, postquam conclave ingressi sunt, Ecclesie de pastore non providerunt, quinque diebus sequentibus unum tantum ferculum tam in prandio, quam in cœna eis præbetur; si autem neque per hos quinque dies Pontificem elegerint, deinceps nihil ipsis præbetur, præter panem vinum & aquam, donec provisio seu electio Papæ subsēcuta sit. *d. c. 3. de elect. in 6.*

Quinto si aliquis ex Cardinalibus conclave non intraverit vel ingressus sine manifesta causa infirmitatis (alia ergo necessitas non excusat glossa *in cit. cap. 3. verb. infirmitas*) exiverit, ipso non requisito neque etiam amplius admisso, in negotio ejusdem electionis per alios procedatur. Si vero ob infirmitatem supervenientem aliquis ex Cardinalibus exiverit ex conclavi, poterit ejus suffragio non requisito ad electionem procedi, sed si sanitate recuperata vel ante ad alios redire voluerit, re adhuc integra, si nimirum Ecclesie nondum de pastore provisum sit, ad electionis negotium in eo statu, quo ipsum repererit, proseguendum admitti debet, ita tamen, ut quæ de clausura, de servientibus, cibo ac potu & reliquis statuta sunt, ipsi quoque sicut alii cardinales servant, *cit. cap. 3. §. sicut si aliquis.*

Sexto, ut hæc omnia fideliter observentur omnisque fraus dolus & machinatio procul electione sit, in eadem constitutione rectoribus &

officialibus illius urbis, in qua decessit Pontifex, executio prædictorum demandatur, qui proinde corporale juramentum præstare tenentur, & si contra juramentum fecerint, excommunicationi, infamiae & inhabilitati ad omnes dignitates, officia & beneficia subjiciuntur.

Septimo si Romanus Pontifex extra civitatem in qua cum curia sua residebat, ex hac vita forte migraverit, tenentur Cardinales in ea civitate in cujus territorio seu districtu (id est diœcesi) Pontifex obiit, convenire ad electionem faciendam, nisi ea fuerit interdicta, vel Romanæ Ecclesie expresse rebellis extiterit, tunc enim (vel si ob aliam causam ibi non possit fieri) in alia vicina civitate convenient, similiter non interdicta nec aperte rebeli, ad electionem faciendam, in qua omnia supradicta observanda erunt. *cit. cap. 3. §. porro sequendo.*

Octavo Pontifex *in cit. cap. 3. §. 7 quia vero*: præcipit, ut audita morte Romani Pontificis, in civitatibus & aliis locis insignibus, solennes exequiæ pro eo celebrentur, & preces quotidianæ fidelium ad Deum fundantur pro concordie & Ecclesie utili Pontificis electione, donec certus de ea rumor vel nuntius fuerit allatus, Prælati verò Ecclesiarum & prædicatores verbi DEI clerum & populum ad hujusmodi orationum frequentiam & jejuniorum observantiam, pro-

ut

ut circumstantiæ suaserint, hortentur.

Quæ concernunt ipsam electionem eique sunt intrinseca, consistunt in modis eligendi summum Pontificem, modi vero desumuntur ex constitutione Gregorii XV. quæ incipit: *Æterni Patris filius: edicta 17. Calendas Decembris Anno 1621.*
 8 ex qua notandus est §. quodsi. cujus tenor est sequens: *Quod si electio huiusmodi alibi celebrata fuerit, quam in Conclavi clauso, vel aliter quam per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi presentium in scrutinio, seu scrutinio & accessu, electi suffragio non computato, vel viam compromissi ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi presentibus, nemine dissentiente initi, & ita ut nemo seipsum elegerit, vel quasi per inspirationem nullo precedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium presentium in Conclavi, communiter itidem nemine dissentiente per verbum: eligo, intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum, nulla sit & invalida eo ipso, absque ulla declaratione, & ita electo nullum jus tribuat, quinimo non ut Apostolicus sed Apostaticus sit & habeatur &c.*

In ipsa igitur electione una ex triplici forma, inspirationis, compromissi, vel scrutini fieri debet. Inspiratio si vera sit, indubie sufficiens erit, ad præfulatum supremum capessendum, quemadmodum accidit S. Fabiano, in cuius tergum cum columba advolasset,

vocem auditam esse, testantur Platina in ejus vita & Baronius ad annum 238. *tu Romæ Episcopus designaberis.* quia certius indicium de aptitudine & dignitate personæ non habemus, quam divinam revelationem; similiter & inspiratio præsumpta approbata, quando Cardinalibus omnibus in conclavi presentibus, unus ex illis certam personam denominat, ejusque nominationem mox omnes per verbum *Eligo* confirmant. P. Wiestner. *de Elect. n. 360.*

De compromisso res etiam expedita est, sive limitato sive absoluto modo instituat, hoc solum excepto, quod Cardinales compromissarii nequeant etiam indirecte seipsos eligere suoque assensu majorem votorum numerum efficere, prout in d. Constitutione habetur.

Scrutinium in Pontificum ac aliorum electionibus longe maxime est frequens, peragitur autem hoc modo: ex ipso Cardinalium collegio tres scrutatores constituuntur secundum ordinem, ita ut primis tribus diebus tres antiquiores ex ferie Episcoporum, presbyterorum & Diaconorum, sequenti triduo tres sequentes seniores ex hac triplici classe, & sic deinceps, donec electio cum effectu sequatur, scrutari incipiant singulorum Cardinalium vota. Ne tamen scrutatores isti fallaciam committere ausint, tres alii eodem ordine & serie deputantur, qui horum scrutatorum vota scrutentur. tum præmissis in
 capella

capella sacro de Spiritu sancto, in quo sacram Eucharistiam omnes de manu Decani recipiunt, ac præstito super Evangelia juramento de servandis, quæ servanda, singuli per ordinem accedunt ad altare, ac schedulam, in qua votum suum hoc modo descriptum habent:

Ego N. Cardinalis N. eligo in summum Pontificem Reverendissimum N. ex illa parte, ubi nomen suum inscriptum habent, annulo suo obfiguratam, ex altera verò parte, ubi nomen electi, apertam, in calicem, qui sacrificio illius diei serviebat, conjiciunt.

Post hæc schedulæ in calicem impositæ, à scrutatoribus successive extrahuntur, leguntur & publicantur, Cardinalibus cæteris sedentibus & ante se scabellum habentibus, ut tam ipsi, quam scrutatores in charta aliqua, in qua singulorum Patrum nomina per ordinem & intervalla sunt designata, singulorum nominatorum personas notare possint. qua collatione habita, si plus quam duæ tertiæ in unum convenerint, mox ille tanquam legitimus Pontifex manifestatur; quod si duæ tertiæ tantum in unum convenerint, recluditur electi schedula, ex qua si appareat, quod electus sibi ipsi votum contulerit, electio habetur pro nulla, quod si verò appareat votum illius in alterum cecidisse, electio ut canonica publicatur.

Completq; autem primo scrutinio

nio, si appareat, quod duæ tertiæ in unum non convenerint, potest fieri accessus & non tantum minor pars majori, sed etiam major pars minori, imo nominato ab una solum persona reliqui omnes accedere valent, noviter scribendo nomen illius in scheda, in quem per accessum vota sua dirigere intendunt, & si per talem accessum duæ tertiæ reperiantur in unum cumulatæ, is non minus pro Pontifice ritè electo est habendus, atque alius per scrutinium electus.

Quando ex cardinalibus in con-¹⁰clavi morantibus aliqui infirmitate impediti, nequeunt accedere ad capellam, electioni celebrandæ destinatam, tres ex cardinalibus sanis per sortem ab ultimo Diaconorum determinati, ad infirmos ante scrutinium abeunt, arculam clausam deportantes, in quam ubi infirmi suas schedulas per foramen immiserunt, illa à Deputatis Cardinalibus ad altare sacelli reponitur, indeque projectæ schedulæ transumptæ, in calicem communibus votis deputatum referuntur, & si scrutinio irrito, per accessum tentetur electio, iidem Cardinales ad infirmos cum eadem arcula redeunt, folium, in quo nomina cardinalium & numerus nominatorum in scrutinio expressus est, una cum schedula ferentes, cui infirmi si voluerint accedere, nomen eligendi inferere vel si noluerint, saltem (quod etiam cæteri qui in sacello constituti renunt, uti accessu,

cessu, faciunt) verbum nemini inscribere, eamque schedulam denuo in arculam reponere valent.

Quoniam verò juxta dictam constitutionem Gregorii XV. (quam confirmavit Urbanus VIII. in sua constitutione, quæ incipit: *ad Romani*. edita 5. Calend. Febr. anno 1625.) quoad vota Cardinalium in futurum Pontificem conferenda, requiruntur duæ tertiæ, hinc

¶ *Quæres 2. An Cardinales post Gregorianam constitutionem presentes in Conclavi, possint convenire, ut valeat electio summi Pontificis, celebrata à majore parte collegii?*

Prima sententia est affirmativa, & fundatur in *cap. cum dilectus de Elect.* ubi expressum est, valere compromissum initum in aliquos hæc forma: ut compromissarii teneantur eligere nominatum à majore parte capituli, cujus dispositio non fuit postea abrogata per concilium generale in *cap. quia propter de Elect.* ut deciditur in *cap. cum expediat. d. tit. in 6. 2.*

Ad Romanum Pontificem eligendum de jure communi duæ tertiæ requirebantur ex Cardinalibus, sicut hodie requiruntur ex Gregoriana constitutione, sed de jure communi non obstante decretali requirente duas tertias, licet Cardinalibus convenire, ut valeat electio celebrata à majore parte collegii cardinalitii, ergo etiam id hodie licere debet, non obstante Gregoriana constitutione. Et hanc sententiam tenuerunt Compostellanus, Hostiensis, Anton de Butr.

Franciscus de Plateo, Baldus, relati à Fagnano in *cap. licet. n. 35. §. 36. de Elect.* Qui 3. dicunt si omnes conveniant, ut Pontifex electus à majore parte collegii sit & habeatur verè electus, tali casu omnes unanimiter talem eligunt, atqui unanimis electio per constitutionem Gregorianam non est reprobata, ergo nec illa, quando omnes conveniunt, ut electus à majore parte collegii sit & habeatur verè electus. 4. Dicunt tam de jure communi, quam de constitutione Gregoriana, licet Cardinalibus nemine dissentiente eligendi potestatem duobus vel pluribus de collegio committere, de jure communi patet ex *cap. quia propter §. 2. §. ex cap. in causis de Elect.* sic videmus eligendi potestatem interdum dari tribus. *cap. cum dilectus. d. tit. ex Gregoriana autem constitutione, per §. matura itaque & per §. quod si Electio.* Ergo etiam licet Cardinalibus eligendi potestatem committere majore parti ejusdem collegii.

Altera sententia negativa pro se allegat constitutionem Gregorianam, in *§. quod si Electio.* ubi decernitur esse nulla & irrita electio Romani Pontificis aliter celebrata, quam per secreta schedularum suffragia in scrutinio, seu scrutinio & accessu, vel per compromissum, vel quasi per inspirationem; electio autem facta à majore parte collegii de consensu omnium, nec est electio per scrutinium, in quo qui-

Y

qui-

quiruntur duæ tertiæ votorum, quæ duæ tertiæ debent exprimi per secreta schedularum suffragia, non autem sufficit hunc consensum quomodolibet exprimi. 2. Talis electio, quando omnes Cardinales consentiunt, ut à majori parte electus sit legitime electus, non fit per compromissum, nam factum compromissum in aliquam partem collegii videtur initum in personam incertam, ac proinde non valere in ratione compromissi. *l. item si unus. §. si in duos. ff. de arbitr. c. innotuit de arbit. ibi: cum legali provisione sit statutum, ut compromissum de incerta persona assumenda non teneat; tum quia sic collegium quodammodo in se ipsum compromitteret, contra l. penult. ff. de recept. arbit. quod autem collegium quasi in se ipsum compromitteret, colligitur ex eo, quia postquam conventum est, ut valeat electio facta à majori parte collegii, Cardinalium vota debent exquiri, ut possit constare, qui majorum suffragiorum partem obtinuerit, atque ita collegium esset de re sua compromissor & compromissarius. 3. Talis electio non poterit sustineri per quasi inspirationem, siquidem hoc fieri dicitur, cum omnes Cardinales quasi afflati Spiritu sancto aliquem unanimiter viva voce summum Pontificem proclamant, adeo ut si vel unus dissentiat, aut contradicat, non reputetur inspiratio Dei communis *c. quia propter de Elect. & patet etiam ex constitutione Grego-**

riana in §. matura. §. quod si Electio. in tali casu autem consensus collegii in unam personam determinatam non fertur, nec viva voce Pontifex ab omnibus proclamatur, ergo talis electio in forma quasi inspirationis sustineri non potest; quam ob rem hæc ratio eligendi cum ad nullam ex præscriptis formis referri possit, consequens est, ut nulla prorsus & irrita sit ex constitutione Gregorii *d. §. quod si Electio.* & eò magis quia in *d. constitutione* pronunciatum est his verbis: *Postremo iisdem omnibus & singulis S. R. E. Cardinalibus & eorum sacro Collegio inbibemus ne contra hoc vel horum aliquod statuere, disponere vel ordinare seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri vel attentare præsumant.*

Verior sententia distinguit tres modos, quibus S. R. E. Cardinales possent convenire, ut valeat electio facta à minori parte collegii.

Primus modus est cum omnes & singuli compromittunt in aliquos ex sacro collegio, hac tamen forma adjecta, ut compromissarii votis singulorum per scrutinium exquisitis eum eligant, in quem major pars collegii consenserit, & hic primus modus in electione summi Pontificis validus erat, quando nondum erat præscripta forma à Gregorio XV. *cit. constit.* jure autem novissimo constitutionis Gregorianæ hic modus & electio hoc modo facta est irrita; Ratio est, quia hic modus continet duas formas,

formas, nimirum compromissi & secreti scrutinii, ut igitur modus hic esset validus, deberet esse validus tum in ratione compromissi, tum in ratione scrutinii; quamvis igitur in ratione compromissi hic modus sustineri posset, quia hoc ipso, quod compromissarii eligant eum in quem major pars consenserit eligunt simul eum, in quem omnes consenserunt, cum omnes consenserint in eum, quem major pars elegerit. *cap. in causis. §. quia vero de Elect.* at vero in ratione scrutinii hic modus sustineri non potest.

Ratio est, quia in hoc modo eligendi duo requiruntur, quoad rationem scrutinii, & quidem duo substantialia; quorum primum est consensus duarum partium ex Cardinalibus in conclavi presentibus, & hic consensus adest quidem, & non solum duæ partes, sed omnes & singuli censentur consentire propter consensum ab initio præstitum in compromisso, nemine dissentiente inito.

Alterum requisitum substantiale est, ut hic consensus duarum partium ex Cardinalibus in conclavi presentibus non quomodolibet, sed per secreta schedularum suffragia exprimat, quod requisitum essenziale omnino deficit in hoc primo modo, quia in scrutinio non concurrunt duæ tertiæ, sive suffragia secreta duarum tertiarum, sed tantummodo majoris partis collegii, ideoque electio hoc modo celebrata est irrita, utpote celebra-

ta contra formam constitutionis Gregorianæ, cui Cardinales renuntiare non possunt. *Clement. 2. in princ. de Elect.* ita tenet Fagnanus in *cap. licet, num. 56. de Elect.* Si

Dicas; Electio valeret in ratione compromissi saltem. dist. nisi talis electio esset determinata & qualificata per aliam formam reprobata C. cum sit qualificata per formam reprobata N.

Instas. Illa forma reprobata esset forma scrutinii, atqui hæc non est reprobata. ergo. prob. Min. forma scrutinii, quæ fit per duas tertiæ collegii, imo per unanimum consensum collegii, non est reprobata, atqui in dicto casu, scrutinium fieret non tantum de duabus tertiis, sed unanimi consensu singulorum, cum omnes consentiant eum haberi legitime electum, qui à majori parte fuerit electus. Ergo.

Resp. N. Min. primi syllogismi, majorem secundæ dist. illa forma non est reprobata, quæ fit à duabus tertiis, ita ut vota singulorum per secreta schedularum suffragia exprimantur C. ita ut quomodocumque exprimantur N. Maj. & sic distincta Min. N. conseq. sic etiam electio inferioris Prælati hoc primo modo celebrata esset nulla, *c. si cui de Elect. in 6.* quia hic modus est mixtus ex compromisso & scrutinio, & per scrutinium determinatus, quæ ratio scrutinii est improbata.

Secundus modus est, cum Cardinales similiter nullo dissentiente compromittunt in aliquos de col-

Y 2

legio,

legio, ita tamen ut compromissarii teneantur eum eligere, in quem libere & nulla forma observata major pars collegii consenserit. Differt hic modus à primo, quod in priori expressum fuerit, ut consensus majoris partis exprimeretur per secretum scrutinium, in hoc secundo modo potest & debet liber consensus majoris partis quomodocunque & absque forma scrutini secreti exprimi; & hunc modum sustineri putat Fagnanus *in cit. cap. licet. n. 57. de Elect.* alique plurimi ab eo relati.

Ratio est, hic modus non improbatur in electionibus inferiorum Prælatorum *c. cum dilectus. §. verum de Elect.* cujus dispositio non fuit abrogata postea per concilium generale in Decretali, *quia propter eod. tit. in 6.* Si igitur hic modus sit purus & simplex per viam compromissi, nemine dissentiente initi, ut constat *ex d. c. cum dilectus §. verum*, non autem mixtus compromisso & scrutinio, aut determinatus per scrutinium, non apparet cur hic secundus modus esset per dictam constitutionem Gregorianam improbatus, cum ea approbet formam compromissi.

Si dicas compromissum non valet, quando quis in seipsum compromittit. *l. penult. ff. de arbit.* atqui in hoc casu & modo secundo collegium promitteret in se ipsum. Ergo.

Resp. N. Min. patet ex eo, quia valet compromissum in aliquos

adjecta hac forma: ut compromissarii eligerent eum, in quem duæ partes collegii consentirent, vel eligerent nominatum à duabus partibus collegii. *c. cum expediat. de Elect. in 6.* vel dist. Min. collegium absolute sumptum compromitteret in se ipsum eodem modo sumptum N. collegium absolute & simpliciter sumptum compromitteret in seipsum respectivè & secundum quid sumptum. C.

Instas. Compromissum initum in personam incertam est irritum *c. innotuit. de arbit.* atqui compromissum in hoc casu & modo secundo videtur esse initum in personam incertam; ergo. dist. maj. initum in personam incertam subjective, est irritum T. quia & hoc patitur limitationem, an nimirum compromissarius sit incertus ab initio & etiam consequenter, vel tantum ab initio non tamen consequenter. compromissum in personam incertam objective. N. Maj. Nimirum persona, quam compromissarii electuri sunt, semper est incerta. & sic dist. Min. videtur initum compromissum in personam incertam subjective. N. Min. objective incertam C. Min. & N. Conseq. vel dist. Min. in personam incertam quoad se T. incertam quoad partem collegii. N.

Tertius modus est, cum Cardinales unanimes directe & immediate compromittunt in majorem partem collegii, & tunc in compromisso vel adjicitur forma ut major pars eligere debeat servata forma scrutini,

scrutini, & compromissum non posse subsistere, tenendum est cum Fagnan. in cap. licet, num. 60, de Elect.

Ratio est, quia annexam habet scrutini formam, quæ ex dicta constitutione Gregorii XV. servari non potest, nisi concurrant secreta suffragia saltem duarum ex tribus partibus Cardinalium. ut constat ex dd.

Quod si verò nulla præscribatur forma sed simpliciter compromissum sit in majorem partem collegii, quo casu satis est, ut quomodo libet appareat de consensu majoris partis, quia compromissarii non arctantur ad eligendum servata forma scrutini vel alia. Fagnanus loc. cit. n. 61. qui refert quinque AA. hujus sententiæ.

Hic ultimus modus esse validus probatur ex eo, quia nec juri communi, nec constitutioni Gregorianæ contrariatur; non juri communi, quia hoc jure Cardinales possunt unanimes directe compromittere in majorem partem collegii, ut paulo supra probatum est; nec etiam constitutioni Gregorii XV. quia per eam in proposito nihil aliud requiritur in electione quæ fit per compromissum, quam ut fiat ab omnibus Cardinalibus nemine dissentiente, quod requisitum in hoc casu concurrat, ut supponitur.

13 Corollarium. quando supra dixi quod omnia impedimenta juris positivi quæ ex parte electi possent opponi, sint penitus sublata, id

intelligendum est de impedimentis quæ directe respiciunt subjectum eligendum; equidem impedimentum, quod ratione formæ in electione non servatæ opponi posset, non est sublatum, sed vigore cit. constitutionis Gregorianæ opponi poterit, estque exceptio nullitatis.

Porro ceremonias quæ in electione Pontificia solent intervenire, his descriptas accipe, quas exhibet Tractatus cui titulus: *Relazione Della Corte di Roma*, quæ autem ibi annotata, ex Italico idiomate in latinum versa sic habent.

De iis quæ sunt ante ingressum in Conclave.

Ab excessu Pontificis per dies omnino novem exequiæ & pia officia pro eodem magna solennitate, majore devotione fiunt, quibus peractis die decimo mane in Ecclesia S. Petri Decanus sacri collegii Cardinalium, missam de sancto Spiritu invocando, adstantibus reliquis Dominis Cardinalibus, solenniter celebrat, deinde orator quidam ad hoc rogatus, concionem de eligendo Pontifice ad illos habet; quibus finitis, Magister ceremoniarum, sublatâ in altum cruce papali, præcedente musicorum choro hymnum *Veni Creator Spiritus* decantante, sequentibus omnibus Dominis Cardinalibus in urbe præsentibus, binis & binis,

Y 3

pro-

processionem versus conclave, ubi electio novi Pontificis fieri debet, ducit.

De iis quæ sunt post ingressum, in ipso Conclavi.

Ingressis omnibus conclave, rectò Sacellum Sixti IV. petunt electores sacri, multis à Domino Decano sacri collegii rationibus & sermonibus ad negotium electionis ritè peragendum accenduntur, post quæ, Dominis Cardinalibus in suis locis collocatis, & misso populo foras, obserantur valvæ nemine admisso quàm secretario S. collegii & quinque magistris ceremoniarum; ab ipso secretario, bullæ seu constitutiones de eligendo novo Pontifice, & quæ ad conclavè servandum spectant altâ & clarâ voce præleguntur, quæ omnia Domini Cardinales jurejurando promittunt custodire. His peractis Domini Cardinales suas cellulas, juxta assignationem magistri ceremoniarum ingrediuntur, ubi modicè prandetur, post quod signo campanulâ dato, redeunt ad prædictum Sacellum, ubi Princeps Savillanus ut Mariscallus perpetuus sanctæ Ecclesiæ, custos conclavis natus, & Præfectus seu Governator Montis S. Angeli, & plures alii Prælati ad custodiendas portas, fenestras, & rotas specialiter assignati, quod munus impositum, fideliter velint obire, in manibus Decani S. Collegii juramento sese obstringunt.

Postea recedunt Domini Cardinales in suas cellulas, ibique admittunt ad colloquium oratores Principum externorum, item alios quamplures, qui officio vel caractere in urbe aut aulâ sunt insignes, quod ad tardam noctem solet protrahi. Tandem campanulâ receptui & claudendo conclavi datur lignum, occluduntur autem portæ & fenestræ partim lateribus, cemento, vectibus & aliis operibus muralibus, tam expedito labore ut intra spatium unius horæ res peracta sit.

Deinde Dominus Decanus & Camerarius sacri Collegii claustra obeuntes visitant, super quibus omnibus ab uno magistrorum ceremoniarum instrumentum publicum formatur; quibus peractis unusquisque sese quieti nocturnæ disponit.

In Conclavi singulis ex Cardinalibus bini famuli, senibus verò & valetudinariis trini conceduntur. Ad sunt præterea unus sacrista cum adjuncto clerico, quinque magistri ceremoniarum cum singulis famulis, unus secretarius cum suo amanuense, unus confessarius, duo medici, unus chirurgus, unus pharmacopola cum duobus ministris, duo tonsores cum totidem ministris, duo fabri, unus lignarius alter muralis, & sedecem servi communes, omnes à sacro collegio in sacristia D. Petri ante ingressum pridie electi; in dictâ sacristiâ eodem tempore gubernatoribus, præfectis, prætoribus, consu-

libus

libus & aliis magistratibus mandata & placita de regenda urbe & territorio ecclesiastico, sedente conclavi, imperantur.

De iis quæ foris extra Conclave fiunt.

Exterius ad rotas (per eas, quæ in conclave spectant, immittuntur, & quæ ex eodem dantur, recipiuntur) custodiæ militares à Mariscallo præviè positæ, die noctuque sine eo quod mutantur, exubant; Præfidiarii Helvetii ad scalas palatii apostolici vigilias agunt. In foro autem S. Petri quatuor agmina militum conscriptorum, quibus præest Dominus Generalis sanctæ Ecclesiæ, excubias agunt.

Portæ conclavis, & fenestræ ipsæ ad spatium quatuor pedum omnes extrinsecus lateribus & cæmento ritè exstruuntur. Rotæ versatiles octo sunt, per quas statis horis esculenta & quæ ad potum conducunt, Cardinalibus famulisque eorum immittuntur, quæ ex propriis ædibus huc à suis afferri solent, prius tamen sedulo à prælatis ad hoc deputatis vasa ipsa illustrantur, ne quid literarum aut aliorum huc non spectantium simul inferatur, qui & rotas claviculâ aperiunt, receptisque canistris cum vasculis, rotas claudunt, foramina pro claviculis chartâ obducunt & sigillo muniunt; quod & intus à magistris ceremoniarum simili diligentia observatur.

De iis, quæ in Conclavi clauso fiunt.

Altero die post clausum Conclave Decanus S. Collegii missam privatam de sancto Spiritu celebrat, sub qua Cardinales reliqui sanctam communionem devote percipiunt, dein idem Decanus sermonem exhortatorium, ut electionem summi Pontificis juxta timorem, & charitatem DEI, majorumque observantiam suscipiant pronunciat. Reliquis diebus summo mane missam *pro Electione summi Pontificis Romani* Dominus Sacrista peragit. Sacris peractis post intervallum duarum horarum quotidie colliguntur vota, & scrutinium fit, usque dum desideratus votorum numerus, duæ nimirum tertiæ totius collegii super unam aliquam personam cadat, post quod conventus omnium Cardinalium præsentium ad Capellam Paulinam inducitur, clausâ capellæ portâ, scrutinium solenne peragitur; apertâ denuò portâ, ingreditur Sacrista cum secretario & ceremoniarum magistris, qui schedulas votantium comburit (quod factum quoque fuit in scrutiniis antecedentibus privatis) assurgunt Dominus Decanus, primus Cardinalis Presbyter, & senior Cardinalis Diaconus, electum accedentes, nomine sacri Collegii rogitant ut electionem ratam habeat, & Pontificatum acceptare velit, post morulam, electus votis annuens, iterum in-
terro-

terrogatur quo nomine insigniri placeat? dato ad hoc etiam responso, illico ad altare dictæ capellæ à primo Cardinali Presbytero & seniore Cardinali Diacono manuducitur, ubi ope Sacristæ & magistrorum ceremoniarum vestibus suis Cardinalitibus spoliatur, induiturque illis quæ Papæ sunt, nimirum calceis cruce aureâ fulgentibus, trabeâ sericâ fulvi coloris, vulgò *Sottana*, amiculo lineo, vulgò *rochetto*, palliolo bombycino rubro, vulgò *moretta*, & bileo holoserico prioris coloris, vulgò *berrettino*. Collocatur in sede Pontificali ad pedem aræ, tunc Domini Cardinales juxta ordinem à Decano sacri Collegii homagium præstant & obedientiam promittunt, osculantur insuper singuli pedem & manum dexteram novi Pontificis, qui toties assurgens ipsis vicissim osculum pacis in utrâque gena impertitur. his gestis, primus ceremoniarum magister sublatâ in altum cruce Pontificali, Antiphonam intonat: *Ecce Sacerdos magnus*, quam reliqui prosequuntur euntes ad fenestram majorem prominentem, ex qua Pontifices populo benedictionem largiri solent, cujus tumultuario muro à fabris diruto, exit crucifer quem sequitur senior Cardinalis Presbyter, populum tota ex urbe affluentem altâ voce sic alloquitur: *Annuncio vobis gaudium magnum, habemus Papam Eminentissimum & Reverendissimum D. N. N. qui sibi nomen selegit. N. N.*

Vix verba integra percipiuntur, dum Equites & pedites ad suos cum bono nuntio festinantes, per totam urbem effusi plateas & vicos vocibus implent acclamantes felicitatem & longam vitam sanctissimo Patri nostro NN. & suæ Familiæ atque Patriæ NN. machinæ murales majores ex monte S Angeli, & campanæ totius urbis boatu suo & confuso alias murmure, toti civitati distinctè proclamant novitatem rei, & summi Pontificis felicem electionem; responderetur variis modis, minorum armorum explosione, tymbanis & cymbalis, vocibus lætitiæ & júbilo populari in omni via & angulo,

*De iis quæ sunt in exitu de
Conclavi.*

Priusquam electio, homagium, & proclamatio finiantur, sol jam meridiem deserit, accumbit sua Sanctitas cum Dominis Cardinalibus stratis mensis, interim turba fabricorum portas fenestrasque nuper occlusas sedulo opere effringunt, fractaque asportant. Cibo refecti Cardinales electum Pontificem denuò in capellam ducunt & secundo homagium & obedientiam præstant; vestitur Neo-Pontifex ornatu solenniore, nimirum Pluviali & mitra Episcopali, collocatur iterum in sede sua ante altare, hoc peracto attollitur in altum crux pontificia, præcedente choro musicorum certos hymnos decantan-

tantium sequitur Pontifex cum Cardinalibus usque ad Ecclesiam S. Petri, ubi in sede alia apud altare majus fit homagium tertiâ vice, ut prius. Interim cantatur à choro hymnus *TE DEUM laudamus*, quo absoluto Decanus sacri Collegii in cornu Epistolæ quosdam versiculos & orationes super neo-electum profert: his quoque persolutis Pontifex mitram & crucem pastorem assumit, stansque in medio altaris benedictionem & omne bonum numerosissimo popu-

lo apprecatur & largiter impertitur. Deposito ornatu solenniori, intrat sedem portalem & concomitante magnâ turbâ Cardinalium, Principum, oratorum Regionum, nobilium & officialium deportatur in Palatium Apostolicum, ubi perhumaniter omnes admittit, & pro votis grates rependit. Recedente luce diei, hac & sequentibus duabus noctibus per urbem universam instituuntur illuminationes festivæ & alia lætitiæ signa juxta affectum & potentiam singulorum.

§. VI.

CONTRARIA ELECTIONIS PONTIFICIÆ.

SUMMARIÆ.

1. *An Electio Pontificia impugnari possit?* 2. *Electio non peracta à duabus tertiis Cardinalium in Conclavi presentium est irrita, item metu gravi extorta.* 3. *Irrita est ipso jure Electio Simoniacæ.* 4. *Ipsa jure irrita est electio, qua assumitur*

ad Pontificatum hæreticus. 5. *Impedimentum Electioni extrinsecum jure humano introductum, non vitiat electionem.* 6. *Si advertant Cardinales Electionem esse irritam, an illico possint novam Electionem instituere.*

Effectus electionis pontificiæ enumerare omitto, & constat aliquantulum ex dictis, qualem electio tribuat effectum, scilicet dignitatem, de quâ in *dissert. 1.* & potestatem de qua in *dissert. 2. præcedenti*, nimirum Pontifici electo confertur potestas exequendi ea, quæ sunt jurisdictionis, prout etiam *dissert. ult.*

de Episcopis dicitur, sunt inquam effectus electionis, non quasi electio tribueret has potestates, sed alia ac ea ratione, quod Deus tribuat electo immediate has potestates & jura.

Porro contraria electionis Pontificiæ dici possunt vitia, propter quæ illa declaranda est irrita. Hinc

Z

Quares

Quæres 1. An electio Pontificia impugnari possit?

1 Ratio dubitandi est, quia in *cap. licet. 6. de Elect. vers. absque ulla exceptione*, nulla exceptio contra electum à duabus partibus Cardinalium admittitur, ergo electio impugnari non potest, cum sine oppositione exceptionis non detur impunitio, 2. quia summus Pontifex non habet iudicem in terris, à quo iudicetur esse illegitimè electus. 3. quia legibus Pontificiis circa electionem latis solutus esse noscitur.

Resp. Electionem Pontificiam posse & debere impugnari quando concurrat impedimentum, quod jure naturali aut divino facit inhabilem ad Papatum. ita Panormitanus *ad d. cap. licet. n. 3.* Fagnanus *ibid. n. 3.* Pirrhing. §. 2. n. 433. de *Electioe.*

Ratio est, quia electio plane invalida potest utique & debet impugnari, ne cum inexplicabili damno Ecclesiæ reputetur Pontifex, qui talis non est. Atqui ubi latet impedimentum, quod aliquem naturali vel divino jure facit inhabilem ad Papatum, electio est planè invalida. ergo. Porro vitia, quæ electioni Pontificiæ utpote nullæ & irritæ opponi possunt, sunt sequentia:

2 Primò, si electio non sit perfecta à duabus tertiis Cardinalium, vel si quidam Electores non habuerunt jus suffragii, cum enim tunc electionis nomen minime merea-

tur, non tam infirmari potest, quam ipso jure nulla declarari.

Secundo. Nulla est electio, si ex gravi metu circa personam determinatam injuste incusso, peracta fuerit. Laymann. *quæst. can. 123. resp. 1.* relatus à D. Francisc. Schmier. *dit. tr. cap. 1. sect. 6. §. 5. n. 439.* quia similis metus refragatur substantiæ electionis, quæ debet esse libera circa personam, adeoque illam reddit irritam & nullam. & ratio ulterior est, quia talis electus non à DEO, sed ab homine censetur vocatus ad solium Petri, cum non ex arbitrio libertatis eligatur, sed impulsu necessitatis intrudatur. denique ex communi doctrina (quæ alias de matrimonio & voto solenni tenetur,) actus qui irrefcindibilis est si semel fuerit validus, ipso jure non subsistit, si ex gravi metu gestus fuerit, talis autem est electio Pontificis, quæ semel valida nequit rescindi; ergo metu gravi celebrata declarari debet statim ab initio nulla.

Tertio est ipso jure nulla electio³ simoniaca, nam quævis electio simoniacè celebrata est nulla. *extravag. 1. & extravag. 2. de Simonia inter comm.* & in specie electio Papæ; qui si eligatur simoniacè *can. 9. dist. 79.* non Apostolicus sed apostaticus proclamatur. Suffragatur constitutio concilii Lateranensis quæ incipit: *cum tam divino* à Julio II. edita, & concilii Constantiensis *Sess. 39.*

Quarto

4 *Quarto* electio est irrita ipso jure si electus sit hæreticus, paganus vel judæus, si sit mulier, furiosus vel infans, quia hi defectus inficiunt ipsum jus habendi & possidendi Fagnanus in cap. licet, num. 20. de Elect.

5 *Corollarium.* Quando impedimentum plane extrinsecum electioni subest, atque à solo jure Ecclesiastico positivo introductum, quales sunt censuræ, irregularitas, defectus natalium, nequit electio tanquam invalida impugnari; & ex hoc fuit responsio ad rationem dubitandi superius positam, conceditur enim, quod non admittatur exceptio electioni extrinseca & jure humano introducta, quo sensu verum est, quod Pontifex non habeat judicem in terris, & quod sit solutus legibus, quando nimirum jam Pontifex est, & legitime creatus.

Quæres 2. Si Cardinales advertant Electionem esse invalidam, an allico possint novam Electionem instituere?

Resp. si nullitas manifesta & notoria sit, licet electoribus illico novam electionem instituere, quia idem est, ac si nunquam elegissent; si vero nullitas non sit notoria sed dubia, probabilius est, quod ante concilii generalis definitionem ad novam electionem procedendum non sit, tum quia Cardinales forent judices in causa propria, tum quia de legitimitate Pontificis judicare, non est Cardinalium, sed totius Ecclesie in concilio congregatæ. Layman. cit. quest. 123. resp. 2. vers. non licet. & hoc dubium de valore electionis, ait Fagnanus in cap. licet. n. 22. de Elect. & Baldus ibid. n. 7. in fine esse determinandum à concilio, prout etiam colligitur ex can. si quis pecunia dist. 79. quo casu non tam Pontifex, sed factum potius eligentium judicatur.

§. VII.

DE CONSECRATIONE ET CORONATIONE SUMMI PONTIFICIS.

SUMMARIA.

1. *Qualis sit corona Pontificia & quam habeat significationem?* 2. *Claves quas accipit Pontifex, quales sint & quid significant.* 3. *Qua solemnitate pergat summus Pontifex ad Ecclesiam D. Petri, ibidem coro-*

nandus. 4. *Capitulum & Canonici D. Petri quid offerant summo Pontifici pro missa Cantata.* 5. *Quæ formula verborum pronuncietur in coronatione Pontificis?* 6. *Quis & quo idiomate promulget indulgentias à Pontifice datas.*

Z 2

Nota,

- 1 Nota. Summus Pontifex utitur corona, illaque est triplex; nimirum corona Pontificia est composita ex tribus coronis sibi invicem super impositis, & superius in extremitate clauduntur aliqua extremitate. sunt præterea hæc coronæ pretiosissimis margaritis confixæ, quæ triplex corona vocatur *Regnum mundi* & significatur per eam triplex officium summi Pontificis, nimirum quod Pontifex officium Patris, Episcopi & Vicarii Christi gerat.
- 2 Præter hanc triplicem coronam Pontifex non quidem accipit sceptrum, quod alias est signum regiminis, sed accipit duas claves, auream unam & argenteam alteram, quibus significatur potestas ligandi & solvendi, claudendi & referandi januam æternæ beatitatis, quemadmodum Christus Petro *dedit claves regni caelorum*, quas claves etiam Pontifex gerit in insigni.
- 3 Illucescente igitur die coronationis peragenda, electus Pontifex se confert ad Conclave sive cameram dictam Papagelli, in qua à præsentibus Cardinalibus solito ornatu & vestitu induitur, quo peracto pergitur ad Basilicam S. Petri, initio ducto à cruce quæ præfertur, Pontifex autem vadit sub Baldechino portato ab octo Nobilibus, & Cardinales tenent fimbriam vestimenti Pontificis, & postquam devotum fuerit ad portas Ecclesiæ, Pontifex conscendit & se reponit in throno, & à Canonicis ac Capitulo S. Petri excipit deosculatio-
- nem pedum, ac claves dictæ Basilicæ, dein descendit & transit per Ecclesiam, acclamante interim & applaudente populo, genu flectit ante altare & ibidem preces suas persolvit, quibus persolutis:
- Se confert ad sacellum S. Georgii, & ibidem denuò conscendit splendidissime paratum thronum, qui tegitur Baldechino pretiosissimis margaritis exornato, ubi Pontifici omnes Cardinales & Prælati promittunt obedientiam, & Cardinales quidem exosculantur manum, reliqui autem Prælati pedes, post hæc Pontifex surgit & coram eo erigitur ac tenetur signum crucis, ipse autem detecto capite populo imperatur benedictionem & indulgentias plenarias, populo interim acclamante & applaudente.
- His peractis Pontifex cum suo comitatu revertitur è sacello in Ecclesiam, Pontificem præcedit magister ceremoniarum, qui portat duas arundines, quarum uni imposita candela, alteri verò lini stupa (*Werk* germanicè) dum igitur Pontifex sacellum egreditur, magister ceremoniarum se vertit ad Pontificem, linum accendit, se inclinat & demum alta voce pronunciat: *Sanctissime Pater: iam celeriter transit gloria & Majestas hujus sæculi.*
- Dum vero Pontifex appropiat altari sanctorum Apostolorum, tres juniores Cardinales Presbyteri ei obviam eunt, eumque nomine Apostolorum acceptant & ad altare præfatum sanctorum Apostolorum ducunt,

ducunt, ac illius faciem & pectus exofculantur, Pontifex autem deinde genu flectit super pulvinari, & preces suas persolvit secreto & detecto capite, peragit confessionem sacrificio præviam, interim persistit Cardinalis Decanus ad dexteram, & ad sinistram primus Cardinalis Diaconus, retro Pontificem autem adhuc alii duo Cardinales, & incipit missa figuralis five musica.

Confessione persoluta tegit caput & sedet in sella pretiosa ac elatiori coram altari posita, tres primarii Cardinales Episcopi pronunciant aliquas preces, primus Cardinalis Diaconus porrigit Pontifici pallium pontificale, quo accepto Pontifex accedit altare & pergit in missa, qua finita Cardinalis & Archi-Presbyter hujus Ecclesiæ & duo Canonici nomine Capituli offerunt Pontifici pretiosam auro & gemmis contextam bursam, in qua 25. antiquæ monetæ Pontificiæ, his verbis: Sanctissimæ Pater, Capitulum & Canonici ad S. Petrum offerunt Sanctitati Vestræ debitum & sacerdotale honorarium pro missa decantata, animo humillimo & in signum perpetuæ subjectionis.

Post hæc Pontifex iterum processionaliter portatur ad januam, tibi benedictiones solent concedi, deserit suam sellam & ascendit thronum auro ac gemmis ornatum, & finita musica Cardinalis

Decanus persolvit preces, duo seniores Cardinales Diaconi stant à latere Pontificis, junior eidem deponit caputium & senior eidem imponit triplicem coronam his verbis: *Accipe pileum tribus coronis ornatum & noveris te esse Patrem Regum & Principum, Judicem mundi, in terris. Vicarium nostri Salvatoris + Jesu + Christi + huic honor & gloria in secula seculorum amen &c.* post quæ populus ter alta voce clamat Kyrie Eleison. Corona autem Pontificia æstimatur 100000. ducatorum.

Finita musica Pontifex tenens crucem impertitur populo trina vice benedictionem & plenariam indulgentiam; quæ tamen ut à populo melius percipiantur, à duobus Cardinalibus in lingua latina & Italica pronunciat: *Hodie vobis omnibus fidelibus à nostro sanctissimo Domino & Papa N. N. concessa sunt indulgentia plenaria in nomine Dei Patris + Filii + & Spiritus sancti + Amen &c.* populus autem antiqua consuetudine acclamat: Vivat Papa N. N.

Omnibus his peractis reportatur ad sacellum sancti Sixti & Cardinalis quidam Pontifici deponit ornamentum, eumque salutatur solito sermone: *ad multos annos*; reliqui omnes recedunt domum, & ex castro S. Angelo ter exploduntur tormenta, & toties suas bombardas exonerant vigiles in foro S. Petri,